DE

COLICA SATURNINA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA,

QUAM

CONSENSU ATQUE AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI,

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR,

DIE XXVI. M. FEBRUARII A. MDCCCXXVIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS PHILIPPUS GIESE,

POMERANUS.

OPPONENTIBUS:

W. BIEL, MED. ET CHIR. DR.,

C. SCHRADER, MED. ET CHIR. DR.,

L. SEBAUER, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI,

TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

PROOEMIUM.

E magna rerum tractandarum sylva saturninam in hacce inaugurali dissertatione mihi sumsi describendam colicam, quae certo jure ad gravissimas colicae formas numeratur, non tam ob ejus frequentiam satis magnam, quam praecipue ob ejus ingressus et decursus celeritatem, ob symptomatum vehementiam, et difficilem curam radicalem perdurantibus causis occasionalibus.

HISTORIA.

Colica saturnina, metallica, pictorum (Hütten-fatze) quam nunc ut a metallicis tantum oxydantibus substantiis, quarum plumbum primum tenet locum, effectam novimus, antiquissimis jam temporibus medicis erat nota, a plurimis autem eorum cum colica Pictaviensium nunc dicta in unum conjungebatur, dum causae in noxas vegetabiles et metallicas dividebantur, quae utraeque colicam possent adducere. Inter vegetabiles nominata reperimus: uvas immaturas, acidas agri Pictaviensium in Gallia, nonnullisque Angliae regionibus (apud Citesium); vinum album non satis merum; (apud *Pisonem, Sennert, Cratonem, Cardanum, Wepferum*); *Punchii* potum nimium, succi citri acidique sulphurici potui largam admixtionem (apud *Tronchin* [1]); cerevisiam a Japanensibus ex oryza paratam, et acidam adsumtam (apud *Kaempfer*); aquam

[1]) *Tronchin* de colica Pictonum, Genev. 1757.

putridam vermiculis, quos setas aquaticas vocant impletam a Lapponibus bibitam (apud *Linnaeum*); vinum e pomis (apud *Huxham*); idem vinum plumbo mitigatum; (apud *Georg Baker*). Praeter medicos jam nominatos huic morbo, eique cum colica pictonum conjuncto, operam dederunt: *P. Aegineta* [2]), *Avicenna*, serius *Riverius* [3]), *Willisius, Scheuchzerus, Fr. Hoffmann, Cambalousier* et recentibus temporibus: *de Haen* [4]), *Strack* [5]), *Stoll* [6]), *Tronchin, Grashuys* [7]), *Tourrach*, *Burserius* [8]), *P. Frank* [9]) etc.

Samuel Stockhausen autem erat primus, qui colicam saturninam plumbo solo excitatam putabat, eamque ab illa vegetabilibus genita substantiis omnino separabat. Postea praeter plumbum aliae etiam substantiae metallicae oxydantes ut hujus morbi causae observabantur, quae accuratior divisio recentissimis temporibus ab omnibus laudata et accepta est. *Astruc* hunc mor-

---

2) *Paulus Aegineta* L. III. c. 43.

3) *Riverius* observationes.

4) *De Haen* rat. medendi, Vindobonae 1764.

5) *Strack* observationes med. de colica Pictonum.

6) *Stoll* ratio medendi.

7) *Grashuys* tentamen de colica Pictonum, Amst. 1752.

8) *Burserius* observationes med. pract.

9) *P. Frank* epitome.

bum nomine Rhachialgiae induit, quia dolor usque ad vertebralem sentiatur columnam.

AETIOLOGIA.

a. De causa proxima multa quidem sunt scripta, nihilominus autem auctores nec ad certam pervenire theoriam, nec constituere potuerunt, quae pars maxime laboret, qua ratione externae agant causae, quid solidis, quid fluidis tribuendum sit. Systema nervosum praecipue esse affectum constat, omnibusque in morbis cum nervorum affectione causae ab effectibus discernere difficile est.

b. Causae praedisponentes inveniuntur in individuis irritabilibus, hystericis, hypochondriacis, in irritabilitate gastrica abdominis, quae cum noxiis externis rebus conjuncta ad hunc morbum citius gignendum et augendum contribuere valent.

c. Ad causas occasionales pertinent omnes substantiae metallicae oxydantes, praesertim autem plumbum, quod morbum gignere potest: primum pulvere plumbi et mercurii oxydati, aut vaporibus horum metallorum inspiratis, qua re colica haec invenitur: apud homines, qui in fodinis et officinis plumbariis laborant (Hütten-katze); apud pictores coloratoresque, qui colori-

bus plumbo mixtis utuntur (colica pictorum); apud illos, qui in cerussae fabricis laborant; apud stannarios, typorum fusores, metallurgos, in officinis porro medicis cum multa praeparata plumbea, praecipue emplastra e plumbo parantur; denique hunc morbum gignere potest continens internus et externus usus medicamentorum plumbosorum in pulveris aut vaporis forma, praecipue plumbi acetici, vel plumbum consilio ut venenum datum (Successionspulver) diuturnusque fucorum plumbosorum usus. Praeterea ille morbus oritur cibis potibusque plumbo corruptis (praecipue vinis) aut in vasibus plumbeis vel fictilibus male laevigatis conservatis aut coctis, porro aqua in tubis plumbeis fluente. Inter alia metalla, praeter mercurium supra jam dictum, hunc morbum adducere possunt: arsenici fumus, vaporesque, antimonium non satis a partibus alienis depuratum, cinnabaris naturalis non rite delutae usus internus, aerugo cibis a cupreis immixta vasibus.

Si cum *P. Frank* assumimus, vinum e pomis in agro Pictaviensium prelis plumbo subductis parari et cum *Richter* [10]) opinamur, vinum illud acidum in vasibus plumbo subductis aut

---

10) Richter's spezielle Therapie, Berlin 1816.

male laevigatis conservari, ita ut etiam colicae pictonum veneficium plumbeum subsit; tum haec una eademque esset ac colica saturnina, vegetabilis et metallica non diversa inter se esset colica, quae res autem diverso utriusque morbi decursu refutatur.

Id hic quoque locum meret, quod *Vogel* argenti purgatores ab hoc morbo tutos esse asserat. Secundum *Richter* applicationem plumbi externam in magnas epidermide privatas corporis superficies hunc morbum efficere experientia haud satis probavit.

SYMPTOMATOLOGIA.

Symptomata et decursus hujus morbi non semper sibi constant, sed variantur secundum causas, earumque majorem minoremve actionem, sequentia tamen essentialia sunt: In minore morbi gradu, secundum *Wilson,* qui eum in fodinis plumbariis ad *Lead-Hills* in Anglia frequenter observavit, et praeter mitiorem hunc gradum graviorem etiam describit, aegri sensationem gravedinis insuetam ad cardiam percipiunt; intestina interdum dolent; in ore saliva subdulcis, coerulea, tanquam plumbum manducetur, apparet; gingiva albo circumdatur limbo; pulsus parvus; cutis frigida aut sudore humido

tenaci tecta; facies pallida et sordida; (*Strack* colorem totius corporis olearem signum pathognomonicum morbi ingredientis esse docet) pedes rigescunt; vacillant; vires exhaustae; appetitus deficit et assumta non concoquuntur; diarrhoea si apparet modica salubris est; aeger plerumque in lecto nondum cubat, valde autem caducus est. Quibus symptomatibus diu continentibus si externae adjunguntur res nocentes, et in diaeta peccatur; morbus ad secundum graviorem gradum provehitur. Dolor in regione ventriculi crescit, aut ad locum dictum fixus, aut ad infimam abdominis partem extensus, in casibus autem longe plurimis umbilicum circumdat, et cum eo musculos abdominales introrsum ad vertebrarum columnam trahit, ita ut postremo umbilicus illi adglutinatus appareat, (quare motus *Astruc* hunc morbum Rhachialgiam nominat,) *Wilson* auctore hic vehemens colicus dolor nec tactu nec pressu augetur. Doloris vehementia aegrum fere semper inquietum, anxium, reddit, et ad renes usque si porrigit mingendi labores imo dysuriam efficit. Contrahentium porro musculorum ita praevalet, ut corpus arcuetur, et crura inflexa abdomini appropinquentur. Secundum *Wilson* in plurimis casibus nec de siti nec de febri queruntur, secundum alios autem

statim ab initio sitis orisque siccitas magna, lingua sicca, fusca et denique rimosa apparet. Alvus in hoc gradu pertinaciter obstructa manet, anus introrsum trahitur, et si excretio alvi clysteribus efficitur, excreta sunt perdura, in globulos conjuncta, grisea vel nigrescentia, stercori caprino, vel fimo ovillo haud dissimilia. Haec alvi obstructio, et dolor colicus umbilicum circumdans, versus columnam vertebralem tractum, morbi hujus signa maxime constantia sunt. Symptomatibus crescentibus pulsus parvus, contractus, duriusculus, intermittens est; nonnunquam autem secundum *Wilson* paululum elevatur, cutis calefit, quam alii frigidam esse contendunt, artus insensibiles sunt, convulsiones singulae observantur; pupilla, in initio valde contracta, nunc retrahitur; os male olet; visus debilitatur, imo amaurosis occurrit; vertigo, cephalalgia cum stupore aut deliriis vehementibus, sensuumque, praecipue visus et auditus, perturbatione; spasmus nunc etiam respirationis organa afficit, respiratio est difficilis, anxia; singultus; convulsiones, imo paralyses completae, plerumque tamen tantum brachiorum; in quibus manus digitique torquentur, musculi inter pollicem et digitum indicem evanescere videntur, ita ut hoc in loco fovea oriatur. *P. Frank* autem in singulis casibus

etiam inferiores extremitates paralysi observavit affectas. A. MDCCLXXXVII Paviae et antea jam Rastadii in figulo, cujus pedes tanta paralysi afficiebantur, ut gangraena, et mox mors sub convulsionibus sequeretur. Dolore colico magis magisque crescente, quocum gurgitatio vehemensque acris, acidi humoris vomitus se conjungit: inflammatio oritur intestinalis, et Ileus, in quo abdomen magis adhuc ad vertebrarum spinam trahitur, ita ut utrumque conjunctum appareat. *P. Frank* autem se abdomen etiam abnorme extensum vidisse contendit. Vomitus non cessat, stercus ipsud vomitu ejicitur; artus ut glacies frigescunt, spasmi diversissimi, tonici etiam, ingrediuntur, morsque scenam gangraena aut paralysi finit.

Aliis in casibus systema nervosum praecipue apparet affectum, singulorum artuum paralyses e. g. linguae, amaurosis, surditas mature intrant, status melancholicus cum stupore sensuum, cataphora et apoplexia nervosa non raro vitam hic finiunt, aut epilepsia apparet completa cum sequente paralysi, statu cachectico, et febre lenta, dum corpus ad sceletum macescit — Tabes metallica — hydrops, icterus, pulmonum ipsa phthisis associantur, efflorescentiae cutaneae fastidiosae, aphthae in ore et faucibus, continens

nigrescentis materiae vomituritio nonnunquam observantur, vox omnino exstinguitur, alvus pertinaciter clausa manet, maculae fusco-nigrae super totum erumpunt corpus, morsque sub symptomatibus paralyseos universalis et reproductionis deficientis adducitur.

Si vero morbus in convalescentiam transit pulsus elevetur, celerior, plenior et mollior evadat, sitis decrescat, os madefiat, urina criticum monstret sedimentum, alvus solvatur, excrementa mollia sint, cutis cale- et madefiat, dolor denique colicus circa umbilicum cesset necesse est.

Sin autem symptomatum vehementia sanationem completam non permiserunt, morbi sequuntur secundarii aut tabes, aut icterus, aut hydrops, aut paralyses articulorum et sensuum, aliaeve neuroses.

Recidivae dispositionis constans signum a *Richtero* traditur esse, si musculi in pollicis regione evanescunt, et nodi in abdomine sentiuntur.

Temporis, quo hic morbus decurrat, spatium non accurate definiri potest. *Wilson* quatuordecim dies ut normam, *Raimann* diem nonum et vigesimum primum ut extrema ponit.

DIVISIO.

Si hunc morbum secundum causas accuratius dividere volumus, eum secernamus necesse

est in colicam saturninam stricte sic dictam, plumbo solo effectam, et in colicam metallicam, aliis supra in aetiologia relatis metallis effectam.

Secundum decursum nonnullis in casibus colica acuta et chronica sunt secernendae.

In rationis ejus ad alios morbos respectu noster semper idiopathicus apparet sedem semper in canali habens intestinali.

Denique colica s. sporadica etiam potest occurrere.

SECTIONES.

Quum parva ea sint, quae adhuc in corporibus colica mortuorum inveniebantur, quamque parum lucis in hujus morbi naturam propagaverint, antiquiorum jam medicorum probat experientia. Ita *Tronchin* in homine vehementissima colica saturnina mortuo nil reperit, nisi intestina pallida flatibus extensa; *Fernelius* in pictoris hoc morbo mortui abdomine nihil abnorme invenit. *Wilson* animalia plumbo venenans, quae ut homines colicae s. succubuere, in uno tantum, quem dissecavit, cane intimam ventriculi et intestinorum cutem hic et illic pulvere plumbeo aspersam, singulaque loca inflammata,

nonnulla gangraenosa et perforata, excrementa pauca, sed dura, membranas intestinorum incrassatas cum arctissimis luminibus invenit. *Lieutand*, qui multos hoc morbo mortuos perscrutavit, in pectore fungum haematodem observavit, et praeter pulmonum pleuraeque vitia duodenum, jejunum et ileum passim inflammatum, hepar obstructum, pancreas induratum reperit. Alio in casu intestina videbantur tumida, maculis pallidis et nigricantibus praedita, colon variis in locis concretum, et praeterea affectiones pulmonum. Tertio in casu, ubi aeger post tertium obierat diem, colon et rectum dilatatum cum maculis gangraenosis, nonnullisque concretionibus. Porro intestina modo singulis locis concreta, veluti strangulata cum maculis rubris, squalidis gangraenosis, praecipue ileum et jejunum, quorum vasa valde erant tumefacta, modo epiploon gangraenosum, colon coarctatum, in cylindrum cum cellulis clausis mutatum, coecum dilatatum putrescens, vesicam felleam bili atra tumentem invenit. In lapicida, ab hoc morbo cum manuum contractione conjuncto sanato, serius autem febri lenta mortuo intestina apparuere pallida, in pure natantia, pulmones duris veluti cartilaginosis tuberculis et passim pure scatebant; in artifice denique intestina fla-

tibus valde erant extensa, et epigastrica coli pars simul cum hepatis parte quasi per ecchymosin compressa. Itaque quod *Richter* asserit, in hominibus hoc morbo mortuis intestina plerumque inter se concreta, vel gangraenosa, pancreas, hepar, et lienem indurata, pleraque viscera tumoribus scirrhosis affecta et spasmodice contracta, glandulas denique induratas et obstructas inveniri experientia modo relata fide privatur.

DIAGNOSIS.

Meum est, hic differentias inter saturninam et Pictonum colicam tradere; sunt vero hae:

Utrius morbi causis consideratis colica quidem pictonum oxydantium quoque efficitur substantiarum actione, hae autem semper vegetabiles sunt: Acida vegetabilia, potus acidorum, non satis fermentatorum, recentium vinorum, vinique e pomis parati, usus fructuum immaturorum, succi citri; saturnina e contra colica plumbo tantum aut aliis in corpus agentibus metallis efficitur.

Praecipue autem utriusque morbi decursus utriusque monstrat diversitatem.

Colica saturnina totius systematis musculorum mox efficit contractionem, cito intrat, acute decurrit; illa Pictonum contra lente ingreditur

magisque occulte, continentem causarum occasionalium in corpus requirit actionem ad se excitandam, amboque colicae saturninae signa characteristica fere omnino desunt, tantumque in summo hujus morbi fastigio adesse solent; dolor in regione ventriculi est parvus, et in gravioribus demum morbi gradibus spasmus augetur, hic praesertim sedem in tenuibus occupans intestinis; continens vero est ructus acidus, acidusque in ore sapor, idemque vomitus. Exitus vero utriusque morbi multa prae se fert similia. Quod denique ad utriusque morbi attinet curam, in colica saturnina praesertim olea mitia vegetabilia cum mucilaginosis conjuncta adhibemus, in pictonum contra colica initio absorbentia et alcalina, hic scilicet ad nimium in ventriculo acidum removendum, illic vero oleosa ad spasmodicam tensionem simulque alvi obstructionem tollendam. In cura demum progrediente medicamenta dantur eadem.

Ex omnibus his dictis concludere licet, utrummorbum singulis quidem rebus inter se esse similem, reliquis autem differre, et si quis tamen colicam pictonum cum nostra conjungere voluerit, minor certe illius semper habendus erit gradus.

PRO-

PROGNOSIS.

In colica saturnina plerumque est mala, cum morbus, perdurantibus plerumque causis excitantibus externis, difficile tollendus sit, sanatio igitur raro contingit, morbique secundarii nova afferunt mala, quae citius lentiusve tristes inducunt exitus. Apparentibus solum illis, in symptomatologia dictis, signis faustis prognosis melior instituenda est.

CURA.

Haec aut prophylactica aut therapeutica est.

a. *Cura prophylactica.*

In hac medicus maxime causas amovere studet, idque optime persequitur, dum opifices illosque, qui in officinis laborant, per tempus aliquod a labore detinet, et si hoc fieri nequit, iis suadet, ne salivam deglutiant, quod venenum praecipue in saliva deponitur et cum ea deglutitur, ut porro, priusquam victum assumant, os diligenter eluant, ut ab omnibus cibis potibusque acidis se abstineant. Pictoribus omnibusque, qui cerussam terunt, opificibus suademus, ne, hoc facto, manus in os vehant, vel panem aliosve cibos tangant, pictoribus praeterea ne

penicillum coloribus plumbariis oblitum ori inducant, aut eo abluant. *Fr. Hoffmann* et *v. Swieten* opificibus plumbo utentibus jus pingue, lardum, panem butyro obductum ad prandium commendant, quibus pinguedinibus intestina non tam facile a plumbo afficiantur.

Si vero haec non sufficiant, adhibetur

b. *Cura therapeutica.*

In hac haec sunt indicationes

1. Spasmodica musculorum intestinorum tensio et contractio est tollenda, qua re simul alvi solvitur obstructio. Hoc assequimur oleis vegetabilibus mitibus expressis: Ol. olivarum; Amygdal. dulc.; Nuc. jugl.; Ricini; Papav. albi., aut meris aut in emulsionibus porrectis; quibuscum mucilaginosa conjungimus: Gummi Arabic., Butyrum, Pinguedinem, Lac, Lactis serum dulce, Lac butyri, decocta seminis lini, cannabis, avenae excorticatae, altheae, oryzae, Salep, Sago.

In obstructione nimia uonnulli purgantia commendant excitantia: rheum jalappam cum mercurio dulci, hunc etiam solum cum saccharo, infusum sennae, pulpam tamarindorum, electuarium lenitivum magnis in dosibus, et praeter haec clysteres e supra nominatis oleosis et mucilaginosis, porro infrictiones oleorum pinguium um camph ora, opio aliisve narcoticis in abdo-

men. Alii etiam, causis adhuc recentibus, emeticum praebere jubent (*Burserius*), sed hoc in tanta abdominis irritabilitate nimis temerum et audax videtur.

2. Canalis intestinalis irritabilitas excedens est mitiganda. Inter omnia hic Opium primum tenet locum remedia, quod in colica saturnina adhuc quam efficacissimum se praebuit remedium. Datur aut cum oleosis supra dictis conjunctum, aut in obstructione pertinaci, anxietate magna, inquietudine et vomituritione omnium assumtorum cum mercurio dulci, illius quidem granum dimidium, hujus unum tertia quaque hora (*Burger*). Laudantur hic etiam pilulae ex resina jalappa (Pharmacop. Borussicae) quarum drachmae opii gr. III—IV adduntur, ita quidem ut secunda quaque hora quinque pilulae, singulae ponderis gr. jj dentur (*Gabel*). *Stoll* opium cum camphora et floribus chamomill. sequenti formula praecepit.

Rec. Aq. flor. chamom. ℥Vj
Extr. — — ʒjß
Syr. — — ℥jß
Opii puri
Camphorae āā gr. X.

D. S. Quarta quavis hora ejus sumatur sexta pars.

Stoll opium omnino valde commendat, et convalescentibus ab hoc morbo ipsis ejus grana

Vj — Vjjj quotidie in dosibus refractis porrigit cum amaro, ventriculum roborante medicamento temperata. Praeter opium etiam alumen commendatum est primum a *Grashuys*, deinde a *Quarin, Percival, Lentin, Gebel, Zinker, Richter* et *Tronchin*. Tum imo profuisse dicitur, ubi opium nihil egit, vomitum praesertim mitigasse, dolores linivisse, alvumque solvisse.

Datur autem in pulvere, ad gr. V — X (secundum *Richter* gr. XV) cum gummi arabico, aut caetceo conjunctum, aut sequenti modo solutum.

Rec. Alum. crudi ʒjß.
solve in
Aq. font. dest. ℥Vj
Syr. Altheae ʒVj.

M. D. S. Secunda quaque hora dimidia scutella.

Nonnulli etiam alumen cum opio conjunxerunt omnique tertia hora illius ℈j, hujus gr. $\frac{1}{4}$ — $\frac{1}{2}$ dederunt.

Non facile est explicatu, quomodo alumen hunc sublevet morbum, cum eo contra excitari queat. Conjunctis enim ejus cum opio nil probat. Praeter haec *Cutterbruk* mercurium dulce interne, simulque unguentum neapolitanum externe laudavit. De mercurio autem idem valet, quod modo de alumine diximus. *Moseley* vitriolum album, *Gunther* nervina cum purganti-

bus conjuncta, *Odier* oleum ricini commendavit; *Bosſetus* porro bezoar minerale, vel terram siculam absorbentem, ubi vapores arsenicales morbum effecerunt, et praeterea vesicantia ad anteriorem et interiorem crurum faciem. Salivatione ingrediente laxans praebuit e sal. cathartic. ℥ß cum semine oryzae vino cocto.

3. Substantiae metallicae, colicam efficientes, chemice decomponendae et innocentes sunt reddendae, Huic inserviunt: Kalia carbonica, hepar sulphuris, saponum solutiones, etc. Hepar sulphuris datur ad grX—ʒj et ultro in hora, urgentibus rebus. *Navier* commendat hepar sulphur. calcar. et salin. praesertim ubi plumbum cum acido conjunctum ingestum est, in aliis casibus inter singulas hepatis sulphuris doses acida suadet sumenda, et laxantibus praecipitatum in ventriculo ortum amovendum.

Si arsenicum sumtum est, tum solutio saponis concentrata (saponis libra una aquae libris sex soluta) est porrigenda.

4. Faeces durae, substantiae nocentes, acrisque bilis, quae per longum obstructionis tempus in intestinis se collegerunt, sunt amovendae. Huic indicationi tum demum satisfacere debemus, cum irritabilitas et spasmus intestinorum sublatus est, neque secundum *Brambillam*, colicae saturninae curam cum ea incipere. Si vero duo illa symptomata jam remiserunt, alvus etiam paullulum

soluta est, tum laxantia continuo porrigimus cum antispasmodicis conjuncta; valeriana, castoreo, chamomillis, opio. Purgantia eadem laudantur, quae in indicatione prima nominata sunt, sed etiam salia neutralia, clysteres aperientes. Emetica sunt vitanda.

Remedia externa in hoc morbo sunt clysteres mucilaginosi et oleosi supra dicti, frictiones oleosae, antispasmodicae in abdomen, secundum *Hillary* frictiones unguenti nervini per totam vertebrarum columnam, fomentationes calidae, emollientes, cataplasmata in abdomine, denique balnea calida alcalina et saponaria.

In convalescentia per aliquod tempus remedia nominata continuantur et sensim sensimque ad roborantia transitur.

Singulorum organorum paralyses interne et externe requirunt nervina excitantia. Electricitatem quam *de Haen, Percival* et *van d. Flue* laudant, *Stoll* et *P. Frank* nil profuisse observarunt. Manuum denique contorsiones secundum *Hunter* et *Klark* mercurialibus continenter sumtis tolluntur.

CURRICULUM VITAE.

Ego *Carolus Philippus Giese*, Pomeranus, confessioni addictus evangelicae, die VI. m. Maji a. MDCCCIII patre *Carolo Giese*, Pharmacopola, et matre e gente *Eisen* natus sum. Primis literarum elementis eruditione privata parterna urbe imbutus Gymnasium Sundense per quinque annos frequentavi. Anno MDCCCXX per triennium arti medicamentariae operam dedi. Anno millesimo octingentesimo vicesimo tertio Berolinum profectus, ab Illustr. *Hoffmann*, t. t. Rectore Magnifico, in numerum civium academicorum receptus, ab Illustr. *Rudolphi*, tunc Medicorum Ordinis Decano medicinae studiosis adscriptus sum.

His interfui praelectionibus. Illustr. *Rudolphi* de encyclopaedia et methodologia medica, anatomia universa, pathologica, comparata et organorum sensuum, de entozois et de physiologia. Illustr. *Knape* de osteologia, de syndesmologia et de splanchnologia. Illustr. *Link* de pharmacologia, de botanice, de historia naturali et de toxicologia. Illustr. *Rudolphi* et Illustr. *Knape* me artem cadavera rite incidendi docuerunt. Illustr. *Hermbstaedt* et Illustr. *Schubart* de chemia universali et pharmaceutica. Illustr. *Ermann* et Illustr. *Turte* de physice. Illustr.

Lichtenstein de zoologia. Illustr. *Horn* de pathologia et therapia speciali, de morbis syphiliticis et de vesaniis. Illustr. *Ritter* de logice. Illustr. *Hufeland* de semiotice et therapia generali. Illustr. *Osann* de materia medica. Illustr. *Rust* de chirurgia generali speciali et de morbis syphiliticis. Illustr. *Jüngken* de acologia et de oculorum morbis. Illustr. *Rust* et Illustr. *Kluge* de akiurgia. Illustr *Kluge* de arte obstetricia et de ossibus fractis luxatisque. A viris Illustr. *Hufeland* et *Neumann* ad praxin medicam excercendam institutus sum et ad chirurgicam a viris Illustr. *de Graefe* et *Rust*.

Tentamine jam et examine rigoroso rite absolutis, spero fore ut, dissertatione et thesibus publice defensis, summi in Medicina et Chirurgia honores ad me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Venaesectio est antiphlogisticum, antispasmodicum et roborans.

II.

Inflammatio asthenica non exstat.

III.

Hypocondriasis et Hysterismus morbi non sunt, diversi.